

R. H. 349, 23.

II f  
122

TENTAMINA QVAEDAM  
RECENTIORVM PHILOSOPHORVM  
HYPOTHESES SVAS SACRARVM  
LITTERARVM AVCTORITATE  
CONFIRMANTIVM

EXPONIT.

SIMVLQVE AD

ORATIONES

D. IX. MART. A. R. S. MDCCL.

H. L. Q. C.

PVBLCICE HABENDAS

PERREVERENTER INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,  
RECTOR.

DRESDAE, LITTERIS HARPETERIANIS.



1811. 1. 24

CONFIRMANTIVE  
LITTERARVM AVCTORITATE  
HYPOTHESES SVAS S. GRAEVM  
RECENTIORVM PINGISSIMO  
TENTAMINA OVAEDAM

SINGLOVE AD

ORATIONES

D. M. H. A. S. S. W. C. C. E.

H. I. O. C.

RVWICE HABENDAS

LEONHARDI DREYER

M. ANDREAS CHRISTIANUS CHRISTIANUS

LESTON

D. M. H. A. S. S. W. C. C. E.





A. Ω.



um tanta rationis sanæ ac litterarum sacrarum est consensio, ut quicquid illa certis minusque dubiis argumentis docet, amice semper cum illis congruat veritatibus, quas viri adflatu divino acti nobis tradiderunt: mirum omnino non est, philosophos quolibet fere tempore nihil egisse impensius, quam ut suæ, quam seqvebantur, sectæ cum divinis oraculis monstrarent nexum, ne quid admisisse videantur, quod Deo hominumque felicitati sit contrarium. Id quod tum maxime partium suarum esse sunt arbitrati, cum novas, easque ad explicanda naturæ arcana excogitatas sententias in medium protulerunt. Quæ res quanquam ita comparata est, ut, si pie & caste suscipiatur, improbari haud queat; dici tamen vix potest, quam iniquè sæpius ea abutantur, qui periculosis præceptionibus suis aliquam veri speciem conciliare annituntur. Provocant ad sanctissima litterarum monumenta, ut ex iis eruant, non quæ vera sunt, sed quæ vera esse exoptant. Lacerant misere, trahunt retrahuntque eo omnia sacris in his tabulis, ut speciosius ac-

A 2

com-

commodari queant præsumtis sectæ suæ opinionibus, nec quicquam tam ineptum tamque absolum est, cujus non vestigia hic quærant ac inveniant.

Licet vero quælibet hæc impiorum hominum conamina jure nostro detestemur, qui saluberrimas sacri codicis veritates ad suam aliorumque pestem insolenter convertunt: nihilominus tamen ab eorum partibus stare non possumus, qui philosophos se suaque sacris litteris pie attemperantes plane despiciunt, & ut beati a) Loescheri utar verbis, eo procedunt, ut neque in talium controversiarum decisione locum habere credant sacrum eodidem, neque in peculio rationis jus ullum revelationi relinquunt. Laudamus potius magnique facimus viros, qui philosophicarum doctrinarum, quas firmis suffulserunt rationibus, consensionem ac concentum cum sacris monstrant litteris, vel si infra probabilitatis terminos adhuc subsistunt, diligenter disquirunt, an earundem auctoritate luculentius corroborentur, dum modo omni adhibita cautione & diligentia illud suscipiant. Pertinet huc potissimum, ut ea sacra oracula, quæ in rem suam convertunt, ad legitima *ἐπιτηδεύματα* principia, ex domestica scilicet verborum sacrarum significatione, ex eorum coherentia, sine affectuque scribentis rite interpretentur, ne notiones mente anticipatas oraculis his ita substituunt, ut quodammodo suis cum commentis philosophicis conspirare videantur. Caveant porro, ne ex *ὑποθέσεις* sua, quam veram esse forsitan supponunt perperam, rationes distingvendi, limitandi vel exponendi sacrarum vocum acceptionem callide petant, adeoque id pro fundamento interpretationis ponant, quod probare atque evincere volunt. Cum etiam haud desunt, qui ex luxurianti, quo sunt, ingenio tot lusus ac conjecturas acumine quidem suo commendabiles, rationi ta-

a) v. ejus Prænot. Theol. p. m. 223.

men sanæ profus contrarias sacris litteris affingunt; non tam in-  
 qvirendum erit, utrum hæc lepide & ingeniose excogitata in sa-  
 cris pronunciaris locum obtinere possint, sed an vere obtineant,  
 ulloqve argumenti robore suffulciantur. Ne de illis deniqve hic  
 aliquid adjiciam, qvi, ut felicius ad propositum suum perveniant,  
 novas comminiscuntur interpretandi leges, atqve cum Cartesii  
 amicis, Burneto aliisque Spiritum Sanctum in describendis naturæ  
 rebus ad vulgi captum sese accommodasse, multaqve alia hujus  
 generis temere nimis perhibent.

Qvos quæso scopulos num recentiores philosophi auspica-  
 to semper prætervecti sint, qvi sententias suas veri similes nec levi  
 sæpe rationum præsidio munitas sacrarum litterarum auctoritate  
 vel firmare magis vel inter se conciliare allaborarunt, aliorum ju-  
 dicio relinqvimus. Id saltem hic sumus acturi, ut primaria, ad  
 quæ provocant, sanctiora oracula succincte adducamus, quo de  
 iis, quid valeant in corroborandis recentiorum sententis, eo re-  
 ctius atque integrius statui & decerni possit.

Incipiamus itaqve cum monadologia Leibnitii, quæ quot  
 quantasqve altercationes in republica litteraria excitaverit & ad-  
 huc excitet, inter omnes sane constat. Docet videlicet in ea vir  
 illustris, res quaslibet compositas ex monadum seu simplicium  
 confluxu oriri, quæ quanquam extensæ non sint, nec ulla gaudeant  
 magnitudine, attamen compositione sua & coagmentatione effi-  
 ciant, ut ex multis unum sive corpora extensæ jungantur. Ante-  
 quam inde hanc rerum seriem construxerit sapientissimus mundi  
 Procreator, necessarium omnino fuisse, ut has monades seu prima  
 corporum principia ex nihilo produxerit, quæ summi numinis  
 actio sensu proprio & vero vocetur creatio. Quæ omnia ita com-  
 parata

parata esse arbitratur beatus b) Reinbeckius, ut cum iis amice admodum conspirent, quæ Moses divinus ille Scriptor de fabricatione mundi hujus doceat. Eandem quoque creationis definitionem uberius confirmare annitur c) Carpovius effato Pauli Hebr. XI, v. 3. ubi per *μη Φαινόμενα* Simplicia illa intelligenda esse asserit. Tantum itaque abest, ut illa Mosis Sanctissimi verba, ex quibus Cartesii amici suos quondam vortices, Gassendi Sectatores atomos, Burnetus atque Whistonus longe diversissima theoriæ suæ telluris principia derivarunt, sibi suisque doctrinis contraria esse autument recentiores philosophi, ut potius omnia hic inter se nexa esse & quam aptissime coherere asserant.

Sed ad aliud τῶν μονάδων genus progrediamur, scilicet ad hominum animos, quorum de ortu diu multumque semper disputatum est. Alii eisdem adhuc quotidie a Deo sine alio interventu creati cum Brentio volunt, quos vero magnus ille d) Qvenstet in primis pluribus verbis confutat. Alii ad traducem, quem dicunt, confugere malunt, cujus sententiæ vestigia jam in e) Prudentii carmine de animæ natura conscripto reperimus. Alii denique præformationem aliquam animalium in medium protulerunt. Posteriores hanc opinionem, quam Leibnitius sua firmavit auctoritate, eo potissimum consilio commendavit erudit. f) Cantius, quod singularis ejusdem cum Sacris litteris sit conspiratio. Ex hac tantum explicari posse Pauli sanctis-

- b) v. Reinbeckii *Betrachtungen ueber die Augsp. Confesf.* n. XIV. de creatione §. I.
- c) v. ejusdem *System. Theol. T. I. §. 933. p. 551.*
- d) v. ejus *System. Theol. Sect. I. p. m. 521.*
- e) v. Prudent. p. m. 187. seqv.
- f) v. ejus *Usum philosoph. Leibnit. in Theol. p. m. 287.*

sanctissimi oraculum Hebr. VII, v. 10. qua ratione scilicet homines nondum nati in parentum lumbis esse; et ab uno quodam, utor ejusdem verbis, capite morali representari queant. Id quod collustrat maxime exemplo matris gravidæ, quæ infantis in utero vere existentis, utpote jam certe futuri personam induere quasi atque referre possit in foro. Nec minorem esse hujus sententiæ utilitatem, quam viris adferat innati & insiti mali propagationem explicaturis. Ita enim intelligi, quomodo in Adamo corrumpi potuerint, qui jam ut loquitur, secundum primæ stamina in eodem extiterint. Maluit præterea illustris g) Leibnitijs uti voce præformationis quam præexistentiæ, ne, quæ Pythagoras aliique profani philosophi de animarum præexistentia docuerunt, sibi invito tribuantur, quod tamen a multis peperam fieri, compertum sane & exploratum est.

His ea adjungeremus sacri codicis loca, ex quibus hominum animos post mortem prorsus dormire ingeniosius extorquere annitur Heynius, nisi quæ hanc in rem commentatus est, in recenti ad huc omnium essent memoria. Ex quo enim hic Psychopannychitarum veterum sententiam jam dudum explosam recoquere atque tueri ausus est, tot sane rei hujus argumenta ubivis in Sacrarum litterarum tabulis invenit, ut catervatim quasi in aciem producat sacra oracula, quorum præsidio se suaque textit. Nititur imprimis illis h) dictis, in quibus mortis conditio *νεκοιμημένων* imagine seu Somno, qui mortis simulacrum est, adumbratur, qua quidem in re probanda i) Burnetum sibi ducem, ut etiam in reliquis, elegisse videtur. Trahit porro ad  
par-

g) v. ejus Theodic. §. 90. 91.

h) I. Cor. XI. v. 30. I. Cor. XV. v. 20.

i) ejus libr. de statu mortuorum.

partes suas k) ea loca, ex quibus tantum mira quaedam verborum inversione argumentari potuit, fato perfunctorum animos post mortem nullius plane rei sibi esse conscios. Quam parum vero hæc omnia inter se cohereant, præter doctissimum Schubertum, Seidelium & alios insigniter quoque nescio quis l) anonymus nuperrime monstravit.

Alia nobis sese jam offert hypothesis, a quibusdam veteribus sacrorum præfulibus, Hilario nempe Origene aliisque etiam recepta ac publice prolata, qua Spiritus quoslibet, tam hominum demortuorum animos, quam τὰς ἀγγέλους corporibus quibusdam vestitos esse credunt philosophorum quamplurimi. Tam egregiis argumentis se hanc evicisse arbitrantur præclarissimus m) Bülfingerus, n) Baumgarten atque o) Cantius, ut fere ultra probabilitatis terminos sit evectora. Ut vero tanto majus robur ac pondus concilient argumentis suis, allegant potissimum locum Matth. c. XVII. v. 3. in quo Eliam cœlicolam corpore præditum cum anima Moïsis esse conversatum legimus. Quæ res ex Cantii judicio nec concipi unquam, nec rite explicari potest, nisi & angelis & defunctorum animabus suam cuique corpus tribuatur. Alii eo progressi sunt; ut ipsam horum p) corporum indolem

- k) Psal. VI. v. 7. Psal. LXXXVIII. v. 13. Eccl. IX. v. 5.
- l) in libro, qui inscribitur: *die wachenden Seelen, derer mit ibren Vætern entschlaffenen.*
- m) Bülfingeri Dilucid. Philos. §. 366.
- n) v. ejus tentamen demonstr. mathemat. de existentia corporum angel:
- o) v. ejus libr. de civ. Dei Sec. 2. c. 3. §. 18. seqv. p. m. 156.
- p) v. Carpov. l. c. §. 1149. Schol. 3. Pari modo Poirettus in Oecon. div. Libr. IV. c. XI. p. 263. Sacris oraculis hypothesin hanc suffulcire quæsit, dum fieri posse negat, ut homines post mortem sint ἰσαγγελοι, nisi hi Dei legati corpore sint induti.



dolem ac naturam in sacris litteris descriptam riteque definitam esse putaverint. Etenim quando Davides Psal. 104. v. 4. canit : Facis angelos tuos spiritus, ministros tuos flammam ignis, per תורתך naturam eorum *spiritualem* per אש ליהט corpora eorum subtilia nec igni absimilia vatem hunc expressisse credunt.

Præter hanc rerum naturalium seriem seu mundi hujus machinam, quam tanquam summum sapientiæ divinæ opificium pie demiratur, alias adhuc esse posse & concipi, solide satis non tantum evicerunt philosophi, sed plures etiam vere existere mundos sive globos ejusmodi habitabiles, tam q) Epicurus, quam nostra adhuc ætate r) Fontenellius aliique doctissimi viri statuerunt. Sunt, qui asserti hujus præsidium in Servatoris nostri, s) effato : ἐν τῇ ἀνίκα τὸ πατέρας μὲ μόναι πολλὰί εἰσι, cum Cudworthio quæfiverunt, quem vero t) Moshemius atque u) Wollius dispari tamen ratione refutarunt. Nemo tamen hujus sententiæ patrocinium infelicius in se suscepit, quam anonymus quidam, qui eosdem mundos in Christi verbis Joh. III. v. 12. detexit, quæ ita interpretatur v) *Ihr kömnet euch keinen Begriff von eurer Welt machen, wie würdet ihr verwirret werden, wenn ich euch von den großen Gebäude des Himmels und vieler Welten etwas vorsagen würde?* Dignum hunc inde suo jure judicavit præclarissimus w) Albrecht, quem prædantismi incusaret exegetici.

B

Ex

q) v. Lucret: L. I. v. 73. seqv:

r) cujus liber de mundorum pluralitate etiam e gallico in germanicum sermonem conversus est.

s) Joh. XIV. v. 2.

t) Moshem. ad Syst. Intell. Cudworth: p. 1180.

u) v. ejus Herm. Sacr. N. T. p. 172.

v) anonymi hujus libellum, qui inscribitur: *Reise in Gedancken durch die eroeffneten allgemeinen Himmels-Kugeln* C. VII. §. 22. p. 99.

w) v. ejus Disqv. de prædantismo exeget. §. 13.

Ex quo illustris Leibnitii opus rara eruditione confectum, quod Theodicea inscribitur, publici juris factum est, graves ubique de optimo mundo controversiæ actæ, totque in utramque partem scripta in lucem emissa sunt, ut haud exiguum eorundem indicem præclarissimus Baumeisterus contexere potuerit. Quum vero optimi mundi fautores probe intelligerent, quæque fere, quæ positionibus suis opponuntur, eo redire, ut quam maxime contrariam esse sacris litteris Leibnitii opinionem, evincerent: omnem in eo posuerunt operam suam, ut cum repugnantiam hanc sibi intentatam tollerent, tum sacri codicis propugnaculis sua tueantur. Ex ipsa non tantum summæ bonitatis notione, quam ubivis summo numini tribuant sacra tabula, argumentantur, nihil nisi optimum eligere Deum posse, sed idem etiam esse, quod in ipsa creationis descriptione Moses confirmet, quando universum hoc **טוב מאד** hoc est, optimum dicitur dicat. Id quod Augustinus, Dorschæus, Arndius, Glassius, magna illa civitatis Christianæ lumina, jam dudum suis in scriptis uberius docuerint. Utrum vero illud, **טוב מאד** perfectionem mundi harmonicam, an singulis rebus creatis per se ac extra connexionem spectatis convenientem exprimat, & quæ alia hanc in rem commentati sunt viri docti, succincte & nervose y) Baumeisterus noster collegit, qui utique hic consulendus est.

Ecquis est, qui nesciat, quanto applausu Gvil. Harvæi vel quod z) Bailius mavult, Andr. Cæsalpini inventum illud de circulatione sanguinis ubique in republica litteraria exceptum est. Non tamen tam occulta semper tamque retrusa suis in tenebris jacuit eadem sententia veterum philosophorum temporibus, quin Salomoni rerum naturalium scrutatori sollertissimo

CO-

- y) v. ejus Historiam recentiorum controversiarum de mundo optimo, quæ illius exercitationibus Scholast: inserta est.  
 z) v. ejus Dictionar: sub voce Cæsalpin.

cognita fuerit atqve perspecta. Id quod a) illustri Heineccius cum aliis & nuperrime adhuc acutissimus b) Crusius ex Koheleth XII, 1. seq. commonstrarunt, qui posterior eadem occasione illum locum fuisse satis & eleganter enodavit.

Prodeat ultimo iterum loco Heynius, qui mirabilem cometarum vim & efficaciam explicaturus quælibet ferme ὑποθέσεως suæ firmamenta Sacris in litteris invenisse sibi visus est. Argumenti loco ea c) nobis esse possunt, quæ de universali aquarum eluvie per cometam excitata lepide excogitavit. Provocat non solum ad illas Newtoni computationes, quibus cometarum reditus præfinire voluit, nec non ad Judæorum commenta, qui die diluvii astrum illud Kima a Deo in orbem hunc esse conjectum somniant: sed vatem Amos pro causâ sua testem producit & citat integerrimum, cujus in vaticinio C. V, v. 8. clarissimis, ut loquitur, verbis doceatur, terrarum inundationem vi & efficacia cometæ cujusdam esse effectam. Nolo uberius hic exponere, quanto conatu a) fecunda scilicet ingenii sui vena adjutus ex Matth. XXIV, 29. Apoc. VI, 12. 13. Act. II, 19. seqv. demonstrare voluerit, cometarum phænomena ad novissimi diei prolusiones pertinere, reliqua scilicet, quæ hic afferri possunt, in tempus aliud reservaturus.

Converto me potius ad Juvenes ornatissimos quosdam, qui cum earum veritatum rite perspiciendarum semper fuerunt studio-

- a) v. Heineccii *Anleitung zur Historie der Weltweisheit* p. m. 22.
- b) Crusii *Anleitung ueber natürl. Wahrheiten nachzudencken*, T. II. p. 113.
- c) v. ejus Specimen Cometologiæ sacræ duabus diff. propositum, nec non ejusdem librum in vernacula lingua conscriptum: *Versuch einer Betrachtung ueber die Cometen*, cui accessit Gottschedii eloquent: præfatio.
- d) in Diff. posteriori.

diosissimi, quas & Sacrarum litterarum monumenta & philosophiæ defæcata & sobria principia docent, multa cum laude hic publice compellandi sunt. Alter est

CAROLVS CHRISTOPHORVS DE ZEHMEN

Eqv. Mifn.

Quemadmodum enim hic egregiis splendidissimæ familiæ suæ ornamentis, majorum imaginibus tropæisque consilio ac virtute partis, nec non divinis & immortalibus in patriam meritis Patris Generosissimi in toga herois, cujus singularem in me munificentiam ac multa gratiæ documenta pie semper venerabor, ad quælibet litterarum, virtutis atque humanitatis studia rite colenda fuit inflammatus: ita etiam tam prosperos successus indefessis ejusdem laboribus dedit Summum Numen, ut jam fortunatus Wittebergam abire, eaque profèqui ex sententia possit, quæ pie ac diligenter orsus est. Quod ut auspiciato fiat, rituque ac formula solenni, Fautoribus, Præceptoribus & amicis grati animi argumenta declarabit *oratione gallica*, primaria latino sermone *de viri politici notione vera* præfatus. Alter vero


ERNESTVS GOTTFRIED ZEIBIG


Mifn.

qui virtutibus parentum prænobilissimorum laudabiliter responderet, modestiæ, pietatis & industriæ nomine nobis piisque omnibus carus, oratione germanica commonstrabit: *Quanto præsidio sit viro politico vera religionum cognitio*, probum hunc academiae candidatum nostrum religiosi piisque votis profecuturus.

Quibus orationibus audiendis ut benevolas commendent aures Musarum Misenensium Patroni & Fautores, summa, qua fas est, observantia peto atque contendo. P. P.

Misena, d. 1. Martii Ao. MDCCCL.





B.I.G.

Farbkarte #13

*Q. H. 349, 23.*

II f  
122

TENTAMINA QVAEDAM  
RECENTIORVM PHILOSOPHORVM  
HYPOTHESES SVAS SACRARVM  
LITTERARVM AVCTORITATE  
CONFIRMANTIVM

EXPONIT.

SIMVLQVE AD

ORATIONES

D. IX. MART. A. R. S. MDCCL.

H. L. Q. C.

PVBlice HABENDAS

PERREVERENTER INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,  
RECTOR.

DRESDAE, LITTERIS HARPETERIANIS.

